

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCLXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

dat & saucium corpus ecclesiae vestrae clementer sanet, toto cum pectore precor. Re-
salutant te amanter omnes, quibus nunciari salutem meis verbis voluisti. Bene
vale & distantis epistolion ex lecto, cui me podagra adfixit, ignoscito. Rostochii,
20. Junii.

David Chytræus.

CCLXI.

Salutem in Domino.

Magno affectus sum gaudio, Clarissime Domine Doctor, pater in Chri-
sto honorande, quando ex R. tuæ filio, D. Philippo, & ex literis tuæ R.
intellexi, R. tuam reformare statum Scholæ Haidelbergensis, & D. Philippum,
filium vocatum ed ad professionem Theologicam. Dominus vobis suo spiritu
adfit, ut quam felicissime omnia ex animi sententia succedant.


R. tuæ scriptum contra Danielem Tossanum dudum est sub prælo typo-
graphico in officina Georgii Gruppenbachii, Tubingæ, & Domino volente,
in his proximis nundinis in lucem prodibit. Theologi Tubingenses pauca
quædam vocabula in eo scripto mutarunt: id quod R. tuam non improbatu-
ram confidimus. Quod ad præfationem attinet, quandoquidem R. tuæ fi-
lius ex me quæsit, an recte factura esset R. tua, si eum laborem Illustrissimo
meo Principi inscriberet, respondi, me non dubitare, quin id Illustrissimo meo
Principi gratum sit futurum: in ea adhuc sum sententia.

Quod adeo raro scribo, peto veniam. Typographus in absolvendo Quin-
to meo Biblico tomo strenue pergit, quem tamen ego nondum absolvi. Ita-
que parcissime tempus distribuere cogor, ne Typographum remorari videar,
mercatus enim Francofurtensis est in propinquo. Felicissime T. R. va-
leat, & breve epistolium boni consulat. Datae raptim Stutgardia 27. Julii,
Anno salutis 1579.

Reverentia tua

studiofiss.

Lucas Ofiander D.



CCLXII.

(Erasmo Marbachio.)

Num reversus sit ex Heidelberga Dominus pater, nondum mihi constat,
nec ipsum maturare reditum ad vos velim, ed quod sperem, diuturnio-
rem ipsius operam Palatinatui fructum allaturam plurimum,

Con-